

## DECRETA CONCILII

---

IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDUAE TRINITATIS  
PATRIS, ET FILII ET SPIRITUS SANCTI  
AMEN.

PRIMA Synodus Provincialis Guadalaxarensis, ad Sacrorum Canonum statuta, praecipue Tridentini et Vaticani Oecumenicorum Conciliorum Decreta, melius observandum; ad Provincialis Mexicanae Synodi Tertiae adhuc vigentes dispositiones hodiernis adjunctis accommodandas; ad Fidei Catholicae tutamen ac propagationem; ad Cultus Divini augmentum; ad Cleri et Populi reformationem; ad communem denique Guadalaxarensis Provinciae, 34 annis abhinc a Pio IX f. m. Summo Pontifice creatae, in spiritualibus ac temporibus utilitatem; hac in urbe Guadalaxara, quae Metropolis est ipsiusmet nominis Provinciae, rite et canonice congregata:

Praeside *Illmo ac Rmo Metropolitano, D. D. Petro Loza et Pardavé*, Dei et Sedis Apostolicae Gratia, secundo Archiepiscopo Guadalaxarensi et

Suffraganeis adstantibus, Rmis eiusdem Provinciae Episcopis, scilicet:

*Illmo D. D. Fratre Bonaventura Portillo ac Tejeda, Episcopo Zacateensi, sive per se, sive per eiusdem Procuratorem Dom. Frat. Theophilum G. Sancho;*

*Illmo D. D. D. Athenogene Silva, Episcopo Colimense; atque*

*Illmo D. D. Ignatio Diaz, Episcopo Tepicensi;*

Deo O. M. iuvante, ac B. V. Maria sub titulo de Guadalupe, Nationis nostra Duce et carissima Primaria Patrona, atque in sua gloriosissima Assumptione huius Ecclesiae Alma Titulari; Sancto Michaële Archangelo, Dei Ecclesiae Custode ac Metropoleos huius Patrono Primario; B. Iosepho, Virginis Virginum Sponso atque Ecclesiae Catholicae Universalis Patrono ac Principali nostrae Mexicanae Gentis; Sanctis Apostolis Ecclesiae Principibus, Petro et Paulo; Sancta Rosa Limana et Sanctis et Beatis Americae; Sancto Philippo a Iesu et ceteris Mexici Coelitibus; nostrarumque Dioeceseon Patronis Sanctis faventibus:

Quae postea sequentur statuit, sancit atque decernit, vota nuncupans, ut ab omnibus ad quos pertinet, iuvante Dei gratia, fideliter constanterque serventur.

Nobis equidem visum est Nostra in Synodo quae-dam de *Dogmate*, de *Moribus*, de *Iure*, ac de *Disciplina* ferre Decreta, aperientibus hodie Conciliorum Provincialium Urbis nostrae Metropolitanae seriem: quapropter quatuor in *Partes* ordinationes Nostras conciliares dividere volumus rebus memoratis respondentes.

Quamvis autem praedicto in ordine *Partes* quatuor essent distribuenda, attamen, ex eo quod fere tota nostra Synodus formam disciplinarem induere debeat; et ex eo quod etiam *Pars de Disciplina* tractans, magis stricte conspecta, tum ex copia tum etiam praestantia rerum, illam supereret quae circa *Ius*, in his quae in praesentiarum attingere desideramus, versatur; logicum

ordinem hac in vice deserentes, materiam cunctam Concilii Nostri quatuor in *Partes* dividimus sequentes:

Pars 1.<sup>a</sup> De Dogmate.

Pars 2.<sup>a</sup> De Moribus.

Pars 3.<sup>a</sup> De Disciplina.

Pars 4.<sup>a</sup> De Iudiciis.

Quae partes, prout necesse fuerit, in Sectiones, Titulos, Capita, Paragraphos, etc. dividentur.

Verumtamen, cum Synodi Provincialis de moribus moderandis, controversiis componendis, excessibus corrigendis, virtutibus fovendis, ecclesiastica disciplina tractanda, aliisque similibus rei ecclesiasticae necessitatibus reparandis, quoad proxim praesertim decernere obiectum sit; cumque praesens Concilium pro scopo habeat, non omnia quae necessaria aut utilia sunt attingere, sed quaedam declarare et docere, quaedam vero statuere aut statuenda praeparare, et exordium instituere Decretorum quae in subsecuturis Provincialibus Conciliis, Deo favente, opportune ferenda iudicabuntur; quatuor in *Partibus* laudatis, urgentioribus providere curabimus, et errorum germina praefocare, disciplinamque promovere ecclesiasticam, atque Sacramentorum piae legitimaeque administrationi invigilare, prout opportune suis locis dicetur.